



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

3. De inuentione & adoratione nati Regis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

quàm detestanda ambitio, superbia, ingratitude, amor temporalium, quæ excæcarunt mentes Herodis & Iudæorum, ut ne pedem quidem mouerent ad quærendum illum thesaurum absconditum, quem alijs ostenderunt! quàm amplectenda humilitas, obedientia, constans feruor quærendi Deum neglecta cura temporalium, quæ Magorum animos sic illuminarunt, sic inflammaverunt, ut demonstratum thesaurum sollicitè quærent, & feliciter inuenirent! Admiratio diuinæ providentiæ, gratitudo, constans feruor Christum quærendi, amandi, imitandi.

III. De inuentione & adoratione nati Regis

I. **A** Ccepto de loco nati Regis indicio, Magi statim relicto aulae strepitu rectà Bethlehem versus alacriter contendunt, & ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum venisset staret supra, ubi erat puer. Et videntes stellam gauisi sunt gaudio magno valdè. Quare lætitijs ad primum conspectum stellæ, quæ disparuerat, incesse-
 rant? Quare exultabundi tam miram circa se diuinam providentiam obstupuerint & laudauerint? quanto gaudio reliquum itin-

ris confecerint? quanto desiderio ad
conspectum tantis prodigijs præmon-
strati Regis anhelarint?

O quam liberalis Deus erga suos ele-
ctos constanti inuicto que animo deso-
lationum, tentationum, aduersitatum,
que procellas amore sui generosè supe-
rantes? Gratitude, gaudium in tribula-
tione, Resignatio ad ardua.

II. Cum Bethlehem attigissent, stupent
cernentes prodigiosam stellam stare
super vilem casam; non super regium
palatium, sed iumentorum stabulum: at
continuo diuinæ lucis radio illustrati
cognoscunt, regis huius regnum non
esse humanum, sed diuinum, non terre-
num, sed cœleste, non transitorium, sed
æternum.

Ingressi porrò casam, inuenerunt
puerum cum Maria matre eius, cuius
vultum cum diuino quodam fulgore
radiantem cernerent, repente sic illu-
minati sunt, vt infantulum, quantumuis
vilibus inuolutum pannis, & pauper-
cullæ Matris filium oculis corporeis aspi-
cerent, nihilominus oculis mentis eun-
dem esse verum Deum, Regem, & Sal-
uatorem agnoscerent. Quanto cum so-
lacio quanto gratitudinis affectu admi-
rati fuerint, se tam abundè votorum
suorum

suorum factos esse compotes? O quantum infinita liberalitate sua Deus excedit vota seruatorum suorum liberali animo se illius obsequio impendentium? Gratitude, amor, zelus perfectè constanterque Deo seruiendi.

III. Continud absque vlla mora, quem agnoscunt, proni demississimè adorant, mysticisque muneribus deuotissimè honorant, auro, thure, myrrha: auro, eum verum regem, thure verum Deum, myrrhaverum hominem esse protestan-

Psal. 71.

tes, iuxta illud: Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Arabum & Saba dona adducent. quanta humilitatis, deuotionis, gratitudinis, amoris affectu hoc obsequium diuino infantulo praestiterint? quam largas laerymas tenerrimi amoris & liquidissimi interni gaudij indices profuderint? quam heroica desideria gloriae eius longè lateque disseminandæ conceperint, medullitusque optarint, eum ab omnibus agnosci, coli, adorari! quam perfectè ex parte sua implerint, impleri- que in toto mundo ab omnibus desiderarint illud: Et adorabunt eum omnes Reges terra, omnes gentes seruient ei?

Ibidem.

Quàm grata fuerit Christo illa Magorum deuotio, illa gratitudo, ille zelus,

lus, illa nō tantū auri, thuris, & myrrhæ, sed & sui ipsorum liberalissima oblatio: quàm larga cœlestium charismatum, diuinarum illustrationum, & ineffabilium consolationum copia, hanc eorum liberalitatem remunerarit? Aurum sapientiæ, qua incarnati Verbi mysterium perciperent, thus deuotionis, qua constanter in cœpto persisterent, myrrham incorruptionis à peccatis, ne in illa reciderent, vicissim ijs impertiendo? Zelus in his pios reges æmulandi.

De reditu Magorum.

IV.

I. **M**Ystica peracta oblatione, mirificè gratiofo diuinissimi infantuli conspectu illuminati, & exhilarati, vix sanctissimis illius manibus pedibusque, flexis poplitibus, decurrente vberè per genas lacryma, summa cum reuerentia suauandis satiari posse videbantur; tandemque in pedes erecti, vix præ internæ dulcedinis affluentia sese capientes, circumspiciebant casam, præsepe, pannos, ipsamque maximè matrem diuinum quid spirantem: omnia attoniti suspiciebant & venerabantur. Quanta submissione Beatę Matri de tanto filio gratulati fuerint, eidemque pro-